I. N. S. S. E. J. T.

# DISPUTATIO. INAUGURALIS. JURIDICA. DE. PIGNORATITIA. ACTIONE. DIRECTA. EJUSQUE. PRÆSCRIPTIONE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*QUAM.*

PRÆSIDE. TRINO. ET. UNO DEO.

*EX.*

DECRETO. ATQUE. AUCTORITATE.

*MAGNIFICI. AC. AMPLISSIMI.*

*JCTORUM. IN. INCLUTA. ARGENTORATENSIUM. UNIVERSITATE. ORDINIS.*

PRO. LICENTIA.

SUMMOS. IN. UTROQUE. JURE. HONORES. ET. PRIVILEGIA. DOCTORALIA. RITE. ATQUE. LEGITIME. CAPESSENDI. SOLENNI. ET. PLACIDÆ. ERUDITORUM. DISQUISITIONI. SUBJICIT.

JOANNES. FRIDERICUS. LACORN.

HALLIS - SUEVUS.

*AD. DIEM.* [illegible] *ST. NOV. H. LOCOQ. SOLITIS.*

---

*ARGENTORATI.*

LITERIS. JOH. FRIDERICI. SPOOR.

cIↃ. IↃc. LXXXIV.

*S. R. J.*

ILLUSTRIS. ATQUE. LIBERÆ.

REIPUBLICÆ.

# SUEVO. HALLENSIS.

PROCERIBUS.

VIRIS.

*MAGNIFICIS. NOBILISSIMIS.*

*PRÆSTRENUIS. ATQUE. PRUDENTISSIMIS.*

DN. DN. CONSULIBUS.

QUINQUEVIRIS.

CONSILIARIIS. CÆTERISQUE.

SENATORIBUS. AMPLISSIMIS.

*PATRIBUS. PATRIAE.*

*VIGILANTISSIMIS.*

DN. MECÆNATIBUS. AC. PROMOTORI-
BUS. SUIS. QUA. DECET. OBSERVANTIA.
SUSPICIENDIS.

SPECIMEN. HOCCE. INAUGURALE.
DEVOTA. MENTE.
DAT. DICAT. DEDICAT.
*OBSEQVIOSISSIMVS. CLIENS*
AUCTOR.

# VIRO
*Nobiliſsimo, Ampliſsimo, atque Prudentiſsimo,*
# DN. PETRO LACORN,
Liberæ Civitatis Imperialis Hallenſis Prætori meritiſſimo, &c. Patrono ſuo ſingulariter colendo.

QUæſivere Patres, quærunt hodieque Periti,
*Pignora* pro lubitu ſintne luenda ſuo?
Quando *præſcribi* diuturno tempore tradunt,
Quando *facultati* jus tribuere *meræ*.
Egregiamque tuus FRIDERICUS præſtitit artem
Qua ſolvi poſſit res ratione docens.
Aſt licet hoc magni fuerit problema laboris
Maximaque, ut conſtat, torſerit ingenia,
*Debitor* an poſſit *pignus* condicere quondam
Suppoſitum, an contra ſit reus ille moræ?
Indubitata tamen viſa eſt inſtantia Patris,
*Pignora* qua repetit *Creditor* ille *Scholæ*.
Atque tuum hoc citius TIBI noſtra Academia reddit,
Quo magis in portu rem videt eſſe ſuo.
De quo præcipuè PATRI TIBI gratulor, ille
Cuſtodi propior cui data cura fuit.
Accipe depoſitum luſtro minus, accipe *pignus*;
Et mihi cum Nato perge favere tuo.

*Felices Filij ſtudiorum eventus gratulatur*

F. Schragius, D. Prof. Pand. & Jur. Can. Ord.

DUm LACORNE meos inter non ultime Amicos,
Pectore ſincero quos mihi junxit amor,
Egregie loqueris de *Pignore*; quis ſit & uſus
*Pignoribus*, ſcripto, clarus & ore, doces;
Ingenij fœtæque Tuæ das *Pignora* mentis,
Et Themidi plena fers ſua ſacra manu:
Nam quod luſtraris ſinuoſa Volumina Legum
Satque ſuperque fidem lux hodierna facit.
Hinc quoque, dum confert Summos Tibi JURIS HONORES
Diva Themis, merito prœmia digna capis.
Macte Animo! præclara Tuo nunc *Pignore* lætans
PATRIA perpetuo *Pignus* amore colet.

*Præclariſſimo DN. CANDIDATO Fautori atque Amico integerrimo gratulab. appoſuit*

JOH. BECHT. WEYLER.

CReditor & Debens quâ tractent *pignora* lege,
LACORNI juris pagina docta docet.
Per placet egregius præclara è meſſe maniplus,
Namque ſuâ patriam fruge beabit humum.
Gratulor ergo Tibi ſtudijs de Talibus, ô &
Spes Patris & cordi proxime Amice meo.
Hoc, Dilecte, Tuæ Doctrinæ *pignus* & artis
Nulla adimet nobis *actio*, nulla dies.
Hæc Tibi Noſter amor teſtatus carmine inerti
*Pignora* vindicijs non repetenda dedit.

*Ita Nobiliſſimo atque Doctiſſimo DN. CANDIDATO Amico atque Fautori æſtimatiſſimo gratulabundus applaudit*

ANTONIUS HEILBRUNNER,
Durlac.

:(o):

*confiſcat.* §. 1. ventilat, & qui tandem *n.* 17. *& ſeqq.* negativæ opinioni adhæret, utpote in praxi receptæ, cui etiam per rationes ab eo adductas ſubſcribimus.

51. Rigidior hâc conſuetudine alia in *Regno Scotiæ* obſervatur, quâ non ſolùm hæredes à bonis delinquentis omninò excluduntur, ſed etiam creditoribus debiti ſolutio denegatur; referente *ex Renato Choppin. lib. 1. de Doman. Regis Franciæ. cap.* 7. *n.* 15. *Klockio. de Ærario. lib.* 2. *cap.* 40. *n* 16. *&* 17. Mitior è contrario illa Venetorum, quæ bona homicidarum deſcendentibus quidem relinquit, ſed ſub lege vaſalliticâ. *Peregrin. de J. F. lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 33. *Alia rigidior in Scotiâ.* *Mitior Venetiis obſ.*

52. Injuſta certè illa eſt contra *l.* 1. *& t. t. C. de naufr. lib.* 11. *Auth. Navigia. C. de furt. cap.* 3. *extra. de rapt. Conſtit. Criminal. art.* 218. *ibiq; Georg. Remum Paraphraſtem in Nemeſ. Carol. R. A. de anno* 1559. §. Und nach dem an etlichen Orten. 35. *non* modò in *mari & Oceano*; ſed etiam in *Rheno & Albi*, ubivis ferè locorum recepta conſuetudo, quam *Galli* Varech (Fahrrecht) ou droit de naufrages vocant? *Guidon. de Finances. fol.* 75. Et de tali *Italiæ, Neapolis, Siciliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Galliæ, Aquitaniæ, Navarræ*, aliorumque Regnorum conſuetudine, quâ Reges, literis, fractas naves & naufragorum bona uſurpant, poſt alios abundè teſtantur *Lucas de Penna in l.* 1. *C. de naufrag. Renatus Choppin. de Doman. Franciæ. l.* 1. *cap.* 16. *n.* 9. *& ſeq. Camill. Borell. de Cathol. Reg. præſtant. cap.* 75. *n.* 1. *& ſeqq. Henning. Arniſ. de Jure Maj. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 16. *Gregor. Tholoſan. lib.* 9. *de Republ. cap.* 1. *n.* 29. *Klock. de Ærar. lib.* 2. *cap.* 114. *n.* 14. *& ſeqq. ibiq; Dn. Peller. in obſervat.* Allegant quidem aliquam æquitatis rationem, ſed an ea defendi poſſit, meritò dubitamus. In Imperio noſtro contra naufragium paſſos ſpoliantes à præcepto inchoari poſſe obſervarunt *Gaill. l.* 1. *obſ.* 18. *n.* 6. *Sixtin. de Regal. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 91. *usq;* 97. *& cap.* 9. *n. ult. Roding. in pand. Cameral. lib.* 1. *tit.* 12. *n.* 25. Peſſima quoque ea conſuetudo quorundam locorum, in quibus Magiſtratus rerum furtivarum, vel per rapinam abreptarum, & apud furem vel raptorem inventarum, & eo caſu, quo auriga currum ſubvertit, & aliquis ex improviſo & inopinatò indè occiditur, ipſius aurigæ currus & e- *5. Ex jure naufragii ſive Fahrrecht* *6. Ex rebus furtivis, & quando auriga currũ ſubvertit.*

 quorum

quorum bonorumque dominium ſibi vendicant, *meritò ſ. all. Conſtit. Crimin. art.* 218. *& d.* ℜ. 𝔄. *de anno* 1559. improbatur. *Add. Sixtin. d. loc.*

*7. In Flandriâ ex rebus inventis.* 53. Laudanda ea conſuetudo, quâ hodiè pecus aberrans, aut alia res mobilis inventa, magiſtratui aut Domino territorii datur cuſtodienda, dum dominus rei fuerit inventus, & probaverit rem ſuam eſſe, quam recuperabit cum fructibus, quos indè magiſtratus vel loci Dominus percepit, expenſarum tamen ratione habitâ. *arg. l.* 38. *ff. de hæred. petit.* quòd ſi verò nemo ſe obtulerit, qui rem repertam vindicare velit, præmiſſis tribus edictis (intra quadraginta dies) ſuper eam rem ritè promulgatis, poſt id tempus Domino territorii adjudicari ſolet. *Hæc Burgundus ad Conſuet. Flandriæ. cap.* 12. *Alibi* ſolet res divendi, deductis expenſis, & quod reliquum eſt cuſtodiri, ut tunc demùm cenſeatur in nullius bonis eſſe, quod tantò tempore, tantisque actibus intervenientibus non cognoſcitur. *Add. Perez. ad tit. C. de bon. vacant. n.* 26. *& Klock. de Ærar. lib.* 2. *cap.* 136. *n.* 52.

*8. In Angliâ ex fructibus Feud. Vaſallo, minorenni hærede relicto, decedente.* 54. *Anglorum* conſuetudinem, ſive ſit lex ab *Henrico III.* primùm introducta, cùm fiſcus inteſtinis bellis exhauſtus eſſet: cum ſit contra *cap. ſi quis deceſſerit.* 5. *ſi de feud. defunct. cont. & c.* 2. *F.* 26. *ibiq; Feud. commun.* quâ Dominus hæredibus vaſalli, quamdiu ſunt minorennes, feudorum mobilium uſumfructum aufert: ab iniquitate vindicari poſſe non videtur; quamvis eandem nonnulli ſcriptores Angli, (*ut notat Thomas Smitus, Anglus. lib.* 3. *de Rep. Anglic. cap.* 5.) defendant, ex adversâ parte reſpondentes, *nullam pupillo creatam eſſe injuriam.* Nam vel pater fundos acquiſivit, vel à majoribus tali ſuperimpoſito onere quaſi per manus accepit, & quia per ſervitium militare prædia ſibi deberi vindicant, (quod in armis & vi publicâ poſitum eſt,) quandò per ætatem id præſtari non poſſit, æquiſſimum eſſe, ut fructus ad Dominum redeant, ex quibus equitem militemque æquè fortem & valentem ſuſtentare queat. Quæ ratio tamen minùs arridet *Klock. de Ærar. lib.* 2. *cap.* 49. *n.* 46.

*9. In Burgund. & Siciliâ. ex bonis furũ.* 55. Contra *Conſtit. Carolin. art.* 159. *& ſeqq.* (quibus fur, furtum violentum aut quinque ſolidorum vel majoris pretii faciens, concurrentibus aliis circumſtantiis, furcâ ſuſpenditur, tamen

men ejus bona non confiſcantur:) tàm *in Burgundiâ*, ex communi obſervantiâ. *Vid. ſ. th. 50.* omnia furis bona, *teſte Chaſſan. ſuper Conſuet. Burgund. rubric. 1. §. 5. n. 137. verſ. Quicquid tamen &c.* quàm *Siciliâ*; bona mobilia tantùm publicari ſolent. ut habetur inter *Conſtit. Siciliæ. lib. 1. rubr. de fiore capto. tit. 66. & ibi: Gloſſ. n. 50.* Ita refert *Guazzin. tract. de confiſ. bon. concl. 13. ampliat. 78.* Concordans cum *Gl. in l. forma. 4. lit. d. ff. de cenſ. & in l. 4. §. 1. ff. de publican.* conſtitutio habetur in *Regno Neapolitano*, cujus vigore bona debent poni & deſcribi in appretio, & ſi non fuerint appoſita, fiſco applicantur, lata *per Carolum Secundum, in rubric. de form. & mod. appret. cap. 199 & ibi Ant. de Nigris in comm. n. 120. Guazzin. concl. 13. limit. 79.* Sic per alias conſtitutiones *Regni Neapolitani*, bona omnia mobilia elapſo anno à die banni acquiſita ſunt fiſco; & in bonis ſtabilibus fori judicati fit diviſio æquis portionibus inter fiſcum & filios & deſcendentes & fiſcus habet tantùm, quantùm unus filius. *Guazzin. d. l. amplias. 88. referente poſt Afflict. ſuper Conſtit. Regni. lib. 2. rubr. 6. n. 10.*

*10 in Regno Neapolitano ex bonis non apprecatis, Et ex bonis banniti.*

56. In *Statu Eccleſiaſtico* per *Bullas ſummorum Pontificum* non nullæ *conſtitutiones* latæ ſunt, in quibus bonorum confiſcatio irrogatur. Ex horum numero ſunt, (1.) Quòd facientibus armatas & cavalcatas, non ſolùm contra Principem, vel Ejus Statum, ſed alios quoque ex aliâ causâ, puta adipiſcendæ, retinendæ aut recuperandæ poſſeſſionis, aut ob finium controverſia, pœna capitis & confiſcationis bonorum imponatur *per Conſtit. à Paulo II. conſtit. 5. confirm. à Clement. 7. conſtit. 6. Pio IV. Pio V. Gregor. XIII. & à Sixt. V. conſtit. 8 poſt Farinac. in tit. de crimin. læſ. maj. quæſt. 113. inſpect. 4. n. 122. & 130. Guazzin. d. l. limit. 86.* Eadem pœna (2.) illos manet, qui in Curiâ Romanâ adverſarios ſuos in aliquâ causâ inter eos vertente, eorumque advocatos, procuratores, auditores, teſtes, Notarios, & alios judices quoſcunque, & cauſam proſequentes, cum mutilatione membri offenderint, *per Bullam Alexand. VI. conſt. 7. in 1. part. Bullar. Guazzin. d. concl. 13. ampl. 87.*

*11. In Statu Eccleſiaſt. multis caſibus per Bullas Pontificum.*

57. *(3.)* Qui archibuſettum minorem menſura duorum palmarum de cannâ archibuſii defert, ei per *Bullam Pii. IV. conſtit. 65. in 1. part. Bullar. & Pii V. conſtit. 51.* pœna criminis læſæ maje-

ſtatis

ſtatis & rebellionis imponitur,& pro delatione parvæ baliſtæ, & archetti adſunt in urbe Româ bannimenta, emanata, *de anno* 1591. *cap*.13. per quæ imponitur pœna vitæ & confiſcationis bonorum, & de aliis armis brevioribus, quæ occultè deferri ſolent, ut ſunt pugiones, & cultelli cum cuſpide, majores uno palmo, & minores tribus, etiam imponitur *per dictam Bullam Pii V.* pœna criminis læſæ majeſtatis & rebellionis, quæ Bulla eſt deducta per Bannimenta generalia ſtatus Eccleſiaſtici, *de anno* 1599.*cap*.30 *Farinac. in tit. de variis ac diverſ. crimin. quæſt*. 108. *n*. 52. *Guazzin. d. concl*. 13. *ampliat*. 88.

58. (4.) Qui præcedente tractatu ac maturâ deliberatione, ad ſingulare certamen & duellum pervenerunt, eorum patrini, & alii, qui præſtant duello auxilium, conſilium, favorem, illis pugnantibus adſiſtunt, præſentes exiſtunt, cartas deſuper ſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intromittentes: Item Barones & alii Domicelli, qui in eorum caſtris & jurisdictionibus concedunt hujusmodi duellum, poſt plures Pontificum Bullas præcedentes, *per Conſtit. Gregorij XIII*. 82. *in* 2. *part. Bullar. & Clement. VIII. ſub dato Romæ*. 1592. *Kal. Septembr. quæ ſimul pœnas à Conſilio Tridentino decretas confirmavit*; ultra pœnam excommunicationis, aliasque in eis comprehenſas, in ſpecie pœnâ confiſcationis puniuntur. *Add. Guazzin. d. concl*.13 *ampl*.89. *per tot. ubi ſub. n*.5. *quænam requiſita in Bullâ Pii IV. ad id, ut duellum commiſſum dicatur, dictis pœnis vindicandum requirantur, notat*.

12. *In Italiâ ex Montibus pietatis.*

59. Ex Montibus pietatis, (vulgò Leibgeding) non modicam utilitatem ærario accedere, poſt *Klock de Aerar. lib*.2. *cap*.20. *obſervavit Dn. Georg. Obrechtus Ictus*. in ſeinem Politiſchen Bedencken und Diſcurs von Verbeſſerung Land und Leut. *tit*. 15. *n*.37. Hinc, ut refert *Ruramundus* im Schlüſſel deß Reichthumbs. *cap*.22. *in multis Italiæ civitatibus, imprimis Luca, Senis & Florentiæ talis conſuetudo invaluit*. Quâ pater ſtatim ſi filia ſibi nata fuerit, certam pecuniæ ſummam, v.g. centum coronatos ærario inferre poteſt, eâ lege, ut ſi filia ad decimum octavum annum pervenerit, decuplum, id è mille coronatos, recipiat, ea verò interea defunctâ, niſi alia exiſtat, quæ pro ratione annorũ mortuæ locũ occupet, fiſco cedat. *Add. Klok. d.l. n*.25. *&* 26.

13 *Bona per renovat. bann. caduca.*

60. Inter effectus bannorum renovationum, de quibus ante aliquot annos diſputatione inaugurali egit *Dn.* Wleger / *Amicus ac Civis noſter honoratiſſimus*, conſuetudine quadam *bonorum caducorum occupatio vulgò* die Einziehung der Caduc-Güter refertur, quâ à Domino territorii, agri eorum, qui citatione factâ vel jus ſuum edituri plane non comparuerunt, vel ſi ſteterint in probatione defecerunt, tanquam caduci vindicantur. *Et hæc de causâ efficiente ſufficiant.*

C A P.